



90

Exc.MUS P. D. IOSEPH LÓPEZ ORTIZ
Episcopus Tudensis-Vicensis

Post tam amplam et luculentam disceptationem, quae hucusque in hac venerabili aula protracta est circa constitutionem collegialem corporis episcoporum, certe quidem sub capite Petro, meam anxietatem patefacere audeo, ne quando ex ordine ad suffragia ferenda evocemur, illam unanimi- tatem non adsequamur ad minus moralem, quam in pertractanda et exponenda tam gravi re, quae ad essentialia in constitutione Ecclesiae attinet, omnes quidem exoptare debemus et re vera exoptamus.

Sententiarum diversitas, immo et oppositio, quae non minus pendenda est, acrior apparet ex eo quod Patres angustia temporis tantum ad singulares aspectus quaestionis orationes suas coarctare debuerunt, et nonnumquam gressu ut ita dicam polemico locuti sint; ita ut quandoque hac in disceptatione species videretur disputationis inter fautores diversarum scholarum theologiarum. Sed hoc in censurae modo non dicam. Theologorum, immo et scholarum munus in Ecclesia est sincere quaerere quod Dominus nos docere dignatus est. Et diversitas sententiarum fere semper ex eo oritur quod adhuc non omnes labores perfecimus, quae ad penetranda arcana sermonum Dei necessaria sunt. Quod munus theologorum nullimode episcopis alienum putandum est, qui magisterio authentico fungimur.

Hac ergo in gravissima re non inutile existimo, ut vox etiam audiatur scholarum theologiarum in sua diversa appretiatione divinae revelationis ab ipsis magistris exposita.

Quare maxima reverentia em. mis praesulibus innuere audeo an locus sit hac in disquisitione peritos interrogandi ad normam art. 9 *Ordinis Concilii celebrandi*, ita ut ex diversis sententiis quidam, etiam inter sese collatis consiliis, nobis explicent ordinem rerum; quomodo diversitas sententiarum exorta sit; quaestionem ordinate et plene adaperiant perspicuis definitionibus; sincere iudicium proferant de vi et sensu argumentorum; de consequentiis etiam practicis utriusque sententiae praevideant et moveant.

Et hoc quidem non spatio coarctati decem momentorum, quamvis nec etiam nimis lauto sermone.

91

Exc.MUS P. D. ALBINUS LUCIANI
Episcopus Victoriensis Venetorum

I. Si bene intellexi, exc. mus Veillot, loquens circa praefatum n. 13 die 4 octobris, asseruit epistulas paulinas manifestare collegialitatem episcoporum et quidem ut aliquid essenziale pro Ecclesia. Ad suum assertum probandum nonnullos textus adduxit, in quibus Paulus vocat episcopos

« fratres », « cooperatores », « commilitones » in Christo vel in Evangelio (αδελφού, συνεργού, συστρατιώτην). Cf. *Philip*, 2, 25 et *1 Thess.*, 3, 2.

Clare, iuxta exc.mum Veuillot, isti textus innuerent actus seu labores apostolicos sive Pauli sive singulorum episcoporum signari caractere seu chrismate quodam collegiali.

Meo humili iudicio, subsistere forsitan posset haec argumentatio, si citatae expressiones a Paulo adhiberentur exclusive pro episcopis. De facto autem adhibentur — et ipsissimae — etiam pro laicis immo et pro mulieribus. Unde argumentatio videtur prorsus corruere.

Simplices fideles sexcenties « fratres » ab apostolo vocantur; Phoebe et Appia, mulieres, « sorores » dicuntur (*Rom.*, 16, 1; *Philem.* 2).

Aquila et Priscilla sunt certe laici et eos Paulus vocat συνεργούς μου ἐν Χριστῷ eodem modo ac Timotheum et Epaphroditum (*Rom.* 16, 3).

Philemon videtur esse laicus et dicitur συνεργός ἡμῶν (*Philem.* 1); Archippus, filius eius, item probabiliter laicus, vocatur συστρατιώτη (*Philem.* 2).

In unico contextu sermo est de mulieribus « quae mecum laboraverunt in Evangelio » et de « Clemente et ceteris adiutoribus meis » (*Phil.* 4, 3). Collegialitas quidem insinuat, sed latissima, quae, nedum Paulum et Clementem et adiutores, ipsas mulieres complectitur in unico communi nisu extendendi Ecclesiam per totam Ecclesiam.

Conclusio est: collegialitas episcoporum in persolvendo opere apostolico probari forsitan potest aliunde, at non ex citatis expressionibus paulinis.

II. Patres, qui in aula conati sunt ex Scriptura probare collegialitatem episcoporum esse de iure divino, generatim methodo progressiva seu via descendentali usi sunt. Processerunt nempe de Christo ad nos; dixerunt *prius*: « Christus ita et ita episcopatum voluit! », ut *dein* concluderent: « Episcopatus ita et ita configuratus concipi debet! ».

Clarior forsitan eadem probatio evadet, si quis methodum regressivam adhibeat qua e factis ad Christum ascendit et, postquam certam et constantem aliquam praxim in Ecclesia ostenderit, ex eadem praxi gressus moverit ad detegendum genuinum sensum verborum Christi.

A) En autem *facta* seu constantem praxim Ecclesiae.

1. Episcopi, pro bono universae Ecclesiae, quaedam solent agere indivisim, uniti scilicet inter se et cum Romano Pontifice sive solemniter modo (« in nomine tuo *specialiter* congregati »!) in Conciliis Oecumenicis sive extra Concilia, dum — ipsis consciis et tota Ecclesia advertente — inter se et cum R. P. consentientes, cotidie magisterium universale ordinarium exercent.

2. Ita quaedam indivisim agentes, episcopi produnt se coetum quemdam efformare. Hic vero coetus non est communitas transitoria, tantum resultans ex communionem loci vel temporis, ex identitate doctrinae et muneris, sed est verum corpus morale seu collegium, bene determinatum et a quolibet alio collegio distinctum, quia 1. in proprium gremium solos successores apostolorum admittit; 2. sua membra vinculo ita stricto R. Pontifici tamquam centro et capiti necessario ligat, ut nec existat nec concipiatur separatum a R. Pontifice vel oppositum R. Pontifici; 3. potestate propria



dotatur, quae nec est potestas qua singuli episcopi in propria dioecesi pol-
lent nec est summa potestatum omnium episcoporum; 4. suam activitatem
explicat in finem bene determinatum, nulli alii collegio proprium i. e. diri-
gere universos fideles in viam salutis aeternae.

3. Dicta potestas collegii in universam Ecclesiam non est mera quaedam
sollicitudo qualem sive episcopi ipsi — ut singuli et suae cuiusque dioeceseos
rectores sive simplices fideles, isti minore quidem titulo, habent. Est e con-
tra vera potestas ordinaria et suprema (cf. c. 228), quae, si, sub forma ma-
gisterii se explicet, infallibilitate donata agnoscitur.

4. In decursu saeculorum exercitium potestatis supremae collegialis eve-
nit paralleliter cum exercitio supremae potestatis primatialis.

B) Facta praedicta videntur Scripturam illuminare et eius interpretatio-
nem certiore reddere. Enimvero: Propter assistentiam Spiritus Sancti nefas
est asserere R. Pontificem et episcopos universos sese habuisse et egisse
aliter ac Christus eos et esse et agere voluerat. Dicendum ergo est ipsum
Christum voluisse collegium constans Papa et episcopis et pollens suprema
in universam Ecclesiam potestate; ipsum Christum disposuisse ut suprema po-
testas aliquando collegialiter exerceretur et aliquando primatialiter, aliquando
per Papam cum omnibus episcopis et aliquando per solum Papam. Dicendum
etiam est verba quaedam Christi Domini plenam lucem accipere a factis
praedictis. V. g., illud *Mt.* 18, 18-19 ... « Quaecumque alligaveritis... » intel-
ligendum est: « Quaecumque — collegialiter, cum et sub Petro — alligave-
ritis ». Item illud *Mc.* 16, 15-16 « Euntes... qui crediderit... » intelligen-
dum est: « Euntes, praedicate qui — vobis collegialiter, cum et sub Petro
praedicantibus — crediderit, salvus erit... ». Observandum est:

1. Nil inde de primatu Romani Pontificis detrahi, nam in collegio epi-
scopali episcopi sese habent ad Romanum Pontificem sicuti in collegio apo-
stolorum apostoli sese habebant ad Petrum. Sese habebant autem ad
ipsum tamquam ad caput vera iurisdictione pollens, verba enim « quae-
cumque alligaveritis » fuerant quidem dicta apostolis una cum Petro, at
ipsissima verba dicta sunt etiam soli Petro, qui, insuper, per illum « Con-
firma fratres tuos » (*Lc.* 22, 32) et « Pasce agnos meos, oves meas » (*Io.*
21, 16-18), quin cessaret ad collegium pertinere, super ipsum collegium
potestatem nactus est. Hinc: In collegio sive Romanus Pontifex sive episcopi
universi potestatem supremam habent, at modo diverso: Romanus Pontifex
sicut decet caput collegii, quod sive in collegium totum sive in singula
membra iurisdictione pollet, episcopi vero ut mera membra collegii. Roma-
nus Pontifex ita potestatem habet, ut exercere possit eam etiam solus,
episcopi autem, ut eam tantum collegialiter et cum Romano Pontifice exer-
cere possint et proinde quando Romano Pontifici placuerit, in materia quae
ei placuerit et quin potestas episcoporum aliquid potestati Romani Ponti-
ficis addat, excepto quod, suam scientiam et experientiam adferentes, com-
munes deliberationes prudentiores et opportuniores reddere possunt.

2. Dici nequit, e contrario, collegium episcopale, per ea quae supra

dicta sunt, nimis minui. Ipsi enim tribuitur quod tribuendum est i. e. vera potestas suprema in universalem Ecclesiam ipsa Christi voluntate existens. Specificatur autem modus, quo, iuxta eandem voluntatem Domini, exerceri debeat, scilicet: non separatim a Romano Pontifice, non autonome i. e. sine Romano Pontifice aut contra Romanum Pontificem, non exclusive, quasi per efficacius exercitium potestatis collegialis possit inutile reddi aut suspendi exercitium potestatis primatialis. Per haec omnia limites quidem ponuntur, at non ultra Christi voluntatem, qui, volens simul efficienti servitio et unitati Ecclesiae suae providere, simul collegium episcopale instituit et collegium per primatum Romani Pontificis temperavit.

Quaesitum fuit: Quomodo possunt episcopi simul supremae potestati Romani Pontificis subesse et cum Romano Pontifice supremam potestatem gerere? Confiteor me de hac difficultate plenam explicationem non invenisse. Fides mihi duo suppeditat: episcopos cum Papa supremam potestatem participare et Papam super ipsos potestatem habere. Quomodo haec duo inter se convenient fides non dicit. Quod nec novum nec mirum est in campo theologiae; quod iterum nos monet materiam hanc provinciam seu categorias rerum politicarum praetergredi, et casum prorsus singularem « potestatis » constituere, mysterio non carentem.

Maior difficultas ex eo provenit quod, ex una parte tanta potestas videtur episcopis a solo Deo « immediate » concedi posse vel debere, ex altera parte, immediatam illam derivationem excludere videtur Pius XII asserens episcopos frui potestate iurisdictionis « immediate sibi ab eodem Pontifice Summo derivata » (*Mystici Corporis*, in D. 3804). Quid dicendum?

Pius XII in l. c. loquitur tantum de episcopis « ad propriam cuiusque dioecesim quod spectat » (D. 3804). Cadit ergo difficultas, si cum multis distinguatur in episcopo duplex potestas, altera « singularis », singillatim pro dioecesi exercenda, altera « universalis », collegialiter pro universa Ecclesia exercenda et, concesso quod prima a Papa immediate derivetur, dicatur de secunda quod iam dicebat M. Cappellari: « ciascun vescovo, nell'atto ed in vigore della sua ordinazione, entra ad essere membro del corpo episcopale, e per conseguenza entra in diritto di governare e ammaestrare tutta la Chiesa, quando sarà in unione con tutti gli altri, e formerà corpo cogli altri » (M. Cappellari, *Il trionfo della S. Sede e della Chiesa contro gli assalti dei Novatori*, Venezia 1832, pp. 118-119).

Melius tamen concipere et asserere possumus quod ipsa potestas « particularis » immediate derivetur sive a Deo sive a R. Pontifice modo sequenti.

a) « Potestas » nomen est bipolare; supponit enim semper binas res sibi e diametro respondentem: in uno polo superiorem in altero subditum; hinc auctoritatem seu ius praecipiendi illinc oboedientiam seu obligationem parendi. « Potestas » insuper necessario supponit et exigit relationem seu ligamen inter hunc determinatum Superiorem et hunc determinatum subditum.

b) Ut detur ergo potestas unius super alium, requiruntur: 1. ius iu-



bendi in superiore, 2. obligatio oboediendi in subdito, 3. relatio seu respectus quidam inter superiorem determinatum et subditum determinatum.

c) Hinc: Immediate potestatem confert sive qui fundat ius praeci-
piendi in superiore et obligationem parendi in subdito sive qui ligamen
creat inter duos qui hucusque ligamine carebant etsi potentialiter sibi in-
vicem superior et subditus erant. A. v. *Deus* per baptismum ponit in omni
baptizato obligationem oboediendi sive Romano Pontifici sive collegio epi-
scopali sive illi e collegio qui ei forte ut episcopus proprius assignabitur a
Romano Pontifice. Idem *Deus* per consecrationem episcopalem, inserens
episcopum in collegium, ei tribuit potestatem « universalem », modo supra
dicto exercendam, in qua continetur, veluti suspensa et implicata, etiam po-
testas « particularis », super determinatos fideles, si qua dioecesis a Romano
Pontifice tandem assignabitur. *Romanus Pontifex*, subditos assignans, liga-
men creat inter episcopum istum et subditos illos ac per hoc potestatem
« singularem » antea ligatam liberat, ex involuta evolvit, ex indeterminata
concretam reddit, ius vero episcopi et obligationem fidelium ex indetermi-
natione trahit, determinando. Hoc modo sive *Deus* sive *Romanus Pontifex*
dicuntur episcopo immediate tribuere potestatem supra fideles dioecesis.
Deus enim dedit ius et obligationem mediante ordinatione sacramentali
et non mediante Pontifice; *Romanus Pontifex* vero posuit relationem me-
diante missione canonica et non mediante ordinatione. Hoc modo item mul-
tam difficultatem non facit quod saepe episcopi prius recipiant designationem
ad datam dioecesim ac dein consacrentur. Verificatur, in casu, quod ligamen
non ponitur tertio loco cum respectu ad obligationem fidelium et ad ius epi-
scopi quae iam praecesserant; ponitur, secundo loco, respectum habens ad
obligationem fidelium iam existentem et ad ius episcopi actu quidem non
existens, at imminens ex ordinatione non procrastinanda et proinde ut exi-
stens consideratum.

His positis, sarta tectaque manente doctrina de primatu Romani Ponti-
ficis, opinor tuto, sub respectu doctrinae, et opportune, sive ob rationes
oecumenicas sive ad complendam materiam quam Vaticanum I in suspenso
reliquerat, introduci in textum schematis emendationes quas plures Patres
proposuerunt 1. de existentia et 2. origine divina, 3. veri collegii episcopalis,
4. vera potestate iurisdictionis universalis instructi, 5. quae potestas a Deo
per episcopalem ordinationem provenit. Circa 5. confiteor tamen difficultates
omnes dissipatas bene non esse, etsi doctrina sit solida.

Pag. 26, linn. 38-39: omittantur verba « aut » et « aut in omnibus ».

Pag. 26, linn. 39-41: hoc vel simili modo dicatur: « Ad quod iudicium
expetendum, Ordinarius loci, cum consilio et consensu coetus episcopalis